



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati
Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos
centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera**

In Qvinque Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati
restituta, & indicibus locupletata

De Tempore

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1631

nudatur vestibus, scilicet ad flagellandum. Articul. XXXVIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47044](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47044)

re. Simili modo fit in alijs casibus: quia ubi invidia, ibi cæcitas. Tertio, monemur Christum præ omnibus eligere, præ omnibus diligere, chariorem omnibus æstimare. Et tamen in omni peccato mortali viliozem æstimamus Christum, Deum nostrum, ea re propter quam peccamus, sit cibus in peccato gulæ, vel fractione ieiunij, sit inhonesta mulier in peccato luxuriæ. O quanta iniuria, & quantus contemptus est Christo præferre turpissimum concubitum. Et sic de alijs.

IESVS NV DATVR VESTIBVS, SCILICET ad flagellandum. Articulus XXXVIII.

Pilatus autem videns Iudæorum obstinatam iram contra Dominum, & durum æstimans innocentem crucifigere, cogitavit ad placandos Iudæos Christum punire, vt sic castigato & afflictio compalli vitam dimitterent. Et ideo fecit Iesum à militibus apprehendi. *Et vestibus ad flagellandum nudari.* Stabat enim adhuc mansuetissimus agnus, vt remissus fuerat veste ludibriosa amictus. Hæc denudatio nõ parua contumeliaz, nec mediocris fuit iniuriæ, affligens verecundum cor pudicissimi Iesu. Licet enim non de infestilla radice Adæ natus sit Dominus, de qua erubescibilis facta est nuditas nostra, vt habetur in Genesi, post peccatum, abscondente se primo parente, & dicente: *Vocem tuam Domine audivi, & timui, eo quod nudus essem. & abscondi me:* Quia tamen naturam nostram, & infirmitates nostras (vt dixi) absque peccato tamen suscepit, de nudari erubuit, & tanto amplius alijs pudicis virginibus (sicut de Agnete, Barbara, & quibusdam alijs legimus, quæ magis timuerunt, & doluerunt nudari, quam mori) quanto sua pudicitia incomparabilis fuit omnibus virginibus. Docemur hic nuditatem, tam corporalem, quam spirituales erubescere. Pudici enim est animi, non solum ab alijs nolle nudum se videri, sed etiam ne propriam quidem nuditatem velle conspicere. Inde est quod apud antiquos monachos, & adhuc in ordine nostro abstinemus à balneis. Spiritualis nuditas est veste carere bonæ conversationis, & à bonorum operum tegumentum esse alienum.

Ioan. 9.

Lucæ 11.

Gen. 3.

Nudatio Iesu quam fuerat illi pœnosa & turpissima.

Nuditas duplex quæ cuius esse debeat fugiende.

IESVS FLAGELLIS CÆDITVR. Art. XXXIX.

Nudatum Dominum vestimentis, ad columnamq; magnam ligatum, fecit Pilatus crudelissime à militibus binis & binis sibi mutuo succedentibus, *flagellu cadi.* Possit hic articulus in duos diuidi: quia complectitur ligationem, & flagellationem. Primo enim fuit Domino non solum iniuriosum, sed etiam pœnosum ligari ad columnam. Iniuriosum, quia tanquam magum, vel tanquam impotentem, quem vincula tenerent, & qui solvere se nequiret, Dominum æstimabant. Pœnosum fuit, quia in omnibus quæ circa Dominum agebant, studiose querebant, nec quicquam horum prætermittebant, quo Dominum affligerent. Secundo in eodem articulo considerare nos conuenit flagellationem Domini nimis fuisse afflictiuam. Fuit enim Dominus cæsus (secundum aliquos doctores) virgis, flagellis, & vncis ferreis, id est, scorpionibus, & non ad breuem moram, sed à duobus, vel quatuor militibus robustis vsque ad sui fatigationem, & subinde alijs succedentibus: adeo vt corpus eius nobilissimum & tenerrimum, nõ solum cæsum, sed vulneratum esset & laceratum adeo, vt non esset à plantis pedum, sed

Ioan. 9.

Ligatio Iesu ad columnam, quam fuerat pœnosa & iniuriosa.

Flagellatio Iesu, quam fuerat pœnossissima.

PP ta pe-

VI
=1